CAROLI PII RAVASI

ORD. S. BENEDICTI CONGREGATIONIS CASINENSIS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPI ADRIENSIS

EPISTOLA PRIMA PASTORALIS

AD CLERUM ET POPULUM

ADRIENSEM

VICETIAE

TYPIS PARONIANIS

MDCCCXXI

VENERABILIBUS FRATRIBUS, AC DILECTIS FILIIS DIGNITATIBUS, CANONICIS, CLERO ET POPULO UNIVERSO CIVITATIS AC DIOECESIS ADRIENSIS:

Salutem in Domino sempiternam.

Deus, qui docuit me a juventute mea, Ipse, pro misericordia in me sua, Auctor mihi fuit, ut, si nollem abripi in invia concupiscentiae carnis atque oculorum et superbiae vitae, me reciperem apud Casinates, ubi in abscondito faciei Domini, longe a conturbatione hominum, et contradictione linguarum Dei gratia adjutus, et Monachorum exemplo illectus sanctis vacans operibus, diesque antiquos et annos aeternos cogitans, per consolationem Scripturarum spem repositam haberem in sinu meo futurum, ut in die revelationis gloriae magni Dei delictorum juventutis, et ignorantiae meae veniam consecuturus essem. Sed inscrutabili Dei judicio a portu voluntatis meae exulare jussus, octo ab hinc annis, Viri clarissimi imperata facturus, Monasteriensem Paroeciam administrandam suscepi, etsi id vel nomen jurati Instituti, quod plangentis est non docentis, prohibere videretur. Quod tamen fecisse

nunquam me poenituit. Etenim Monasteriensis Plebs Christiana, optime a Praedecessoribus meis instituta, commendatur morum probitate, zelo gloriae Domus Dei, effusaque in pauperes misericordia. Me autem tot tantisque benevolentiae officiis ita prosecuta est semper, ut apud eam perpetuo manere constituerim, jamque de sarcophago humili loco mihi parando cogitabam, cum me inopinato immortali beneficio FRANCISCI AUSTRIACI Regum Potentissimi atque Religiosissimi apud Sanctam Sedem, ut ajunt, designatum, PIUS VII. Pontifex Maximus vere atque Sanctissimus Sanctae ADRIENSIS ECCLESIAE Episcopum constituit. Ergo qui Paroeciae regundae impar eram amplissimae praeficior Dioecesi, et qui habitabam in pulvere, homo solis latebris dignus, jubeor conscendere Cathedram, quam a priscis usque temporibus illustrem, nobiliorem effecerunt tot Praesules, qui, virtutibus rebusque praeclare gestis, immortalitatis nomen sunt adepti!

Domine JESU tu nosti quod cum sacrabar contremuerunt ossa mea, veritus ne calamus quassatus conterreretur onere Episcopalis officii, quod Angelicis ipsismet humeris formidandum dixerunt Tridentini Patres. Sed animo reputans ego quod infirma mundi, et ignobilia, et contemptibilia eligit Deus, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus, quamvis infirmitatis meae conscius, in spem erigor futu-

rum, ut qui dat affluenter petentibus, et caepit opus misericordiae in me suae, illud perficiat pro bona voluntate. Quamobrem (humiliter confido) introitus meus ad vos non erit inanis, et ego loquar ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine, non quasi hominibus placens, sed Deo, qui probat corda, ei rationem redditurus animarum vestrarum, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam.

Praeterea suscipienti mihi administrationem Ecclesiae Adriensis animum addit Canonicorum non fucata pietas, doctrina, et prona in me voluntas. Vos itaque in Senatum Ecclesiae mihi concreditae cooptatos in gravioribus negotiis expediendis mihi adjumento futuros plurimum in Domino confido. Pergite, ut facitis, lucere in domo Dei super candelabrum positi. Vobis siquidem incumbit nedum Populo, sed Clero ipsi exemplo esse; et sicuti honore et dignitate, ita virtutibus caeteris omnibus antecellere, ut et nos ipsi in vobis gloriemur. Quoniam vero vobis datum est septies in die publice laudem dicere Deo, implemini Spiritu Sancto loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, psallentes in cordibus vestris Deo. Ut autem preces vestrae ascendant ad Dominum, et ab Ecclesia cunctam repellant nequitiam, mundo corde non tantum accedite, verum etiam, edocti quae in psalmis latent mysteria, „si orat psalmus, orate; et

si gemit, gemite; et si gratulatur, gaudete; et si sperat, sperate; et si timet, timete. Omnia enim quae hic scripta sunt, speculum nostrum sunt ".

Nunc ad vos patet os meum, et cor meum, Venerabiles Rectores atque Pastores animarum, quos cupio quamprimum amplecti in osculo sancto. Vos peramanter obsecro, ut digne ambuletis vocatione sancta, qua vocati estis. Peto, ut quemadmodum legatione pro Christo fungimini; ita non vestra, sed quae Jesu Christi sunt, semper et in omnibus quaeratis.. Pascite ergo, qui in vobis est, gregem spontanee forma gregis facti ex animo. Perpetua catechesi date operam, ut ex ore infantium perficiatis laudem Domini: rem certo consecuturi si facti fueritis parvuli in medio eorum, tamquam si nutrix foveat filios suos, portantes eos in sinu vestro. Maxima vestra laus erit si in enutriendo Populo solidiori cibo omnem diligentiam in eo ponatis ut discat, quoniam quaecumque lex loquitur iis qui in lege sunt, loquitur ut omne os obstruatur, et subditus fiat totus mundus Deo. Quamobrem non solum aeternitatem, justitiam et pulchritudinem sanctae legis perspicua oratione prosequi opus erit; verum etiam enixis precibus postulare a Domino, ut dignetur ponere in ore omnium tamquam jaculum Davidis precem: Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas, ut sint mihi cantabiles in loco

peregrinationis meae: tu enim mandasti mandata tua custodiri nimis.

Et quoniam ea vivimus aetate, qua plurimi quaecumque ignorant blasphemant, muneris vestri non ultima pars esto ea omnia suo in lumine ponere, quae invicte probant rationabile esse obsequium fidei nostrae, utpote quae infallibili Dei veritati innitur, et per totum, qua late patet, orbem, non persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed ostensione spiritus Apostolorum praedicatione diffusa obstantibus atque repugnantibus Regibus et Principibus, hominumque sophismatis atque effraenatis cupiditatibus per multa jam saecula tot jactata procellis, tantisque petita calumniis sua virtute victrix, immaculata firmaque stat in saeculorum aevum duratura. Pascite qui in vobis est gregem Sacramentis, ne ignavia vitioque vestro eveniat, ut Populus vobis commissus non hauriat aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Agite ut quam cito renascantur parvuli fonte Baptismatis, renatosque adducite ut per manuum mearum impositionem Milites Christi evadant. Confirmatos sacro Chrismate edocete sancte accedere ad mensam Angelorum, ut iis donentur auxiliis quibus eam spernant vincantque, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem, neve, abrepti erroribus terroribus atque amoribus saeculi, fodeant sibi cisternas dissipatas. Quos matrimonio conjuncturi estis

probate an accedant cum timore, amore filiorum suscipiendorum magis, quam libidine ducti, ut in semine Abrahae benedictionem in filiis consequantur. Porro cum sensus et cogitatio humani cordis prona sint in malum: caro enim concupiscit adversus spiritum, et corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, rogo vos Fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, factique boni dispensatores mysteriorum Dei in reconciliatione peccatorum judicate inter pecus et pecus, requirentesque quod perierat, et quod abjectum erat reducentes, evangelici Samaritani exemplum secuti, vinum adhibite et oleum: „ ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur: quatenus unusquisque qui sanandis vulneribus praeest, in vino morsum discretionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foveantur. Miscenda est ergo lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum: ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur ". Infirmis sollicite opem ferte versantes lectum doloris, ungentes eos oleo in nomine Domini. Morituris adstate indivulse, eosque prosequentes foventesque omnibus charitatis officiis, preces supplicationesque cum lacrymis offerte ei, qui potest eos salvos facere.

Haec omnia, quaecumque sunt officii vestri munera, ea gravissima esse aeque ac difficilia probe intelligo. At vero, quem praeterit a Patrefamilias in excolenda vinea sua vobis datum fuisse portare pondus diei et aestus? Estote ergo viri: et aspicientes in Auctorem fidei, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, ad opus consummandum quod dedit vobis ut faciatis, alliciant Christi verba: Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos; cujus opitulante gratia divites facti in bonis operibus thesaurizabitis vobis fundamentum bonum in futurum, ut adprehendatis vitam aeternam.

Quae hactenus dixi, magna saltem ex parte, communia fore Parochorum Adjutoribus, Confessariis, Catechistis, juventutis Institutoribus, caeterisque Sacerdotibus omnibus, nemo est qui non videat. Is enim immemor vocationis suae dicendus esset, qui non cogitaret quae sunt Christi, summoque dolore afficeret Ecclesiam, quae cum postulet a Sponso ut mittat operarios in messem multam, castissima Mater summo cum pudore Sacerdotem cerneret otio diffluentem in capite platearum factum petram offensionis.

Jam vos alloquor, qui praeventi in benedictionibus dulcedinis, in atriis statis domus Dei nostri introituri templum sanctum in partem vocati sollicitudinis meae. Vos igitur, quibus ceciderunt funes

in praeclaris, videte ut in bono sit cor vestrum in diebus juventutis vestrae: adolescens enim juxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea. Quapropter certissime tenentes bonum esse viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua, magno corde et alacri animo leges amplectiminor, quibus obnoxios vos reddit pia mater Ecclesia. Ne vero cuipiam despectui sit adolescentia vestra, vigilate, orate, inebriamini vino germinante virgines, et panem comedite, in cujus fortitudine ambulantes vos vestraque omnia ita componatis, ut habitu, incessu, opere, sermone nil nisi grave, sanctum et homine religioso dignum intuentium oculis exhibeatis. Etsi vero morum sanctimoniam praecipue a vobis exigam, necesse est tamen sacerdotis labia custodire scientiam. Ne itaque a sacerdotio fungendo repellamini Christianae tum fidei, tum morum disciplinae ediscendae pro mensura uniuscujusque ingenii totis viribus incumbite, sollerterque cavete ne quis vos seducat per inanem fallaciam. Et ne sitis sicut parvuli fluctuantes, qui circumferuntur omni vento doctrinae, deliciae vestrae sint Scripturae sanctae: litterae siquidem de caelo ad nos missae utiles sunt ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum, ut perfecti aliquando sitis ad omne opus bonum instructi. Quoniam vero littera occidit, spiritus autem vivificat, ne vobis claudatur sermo, et signetur liber

vel in iis quae sunt intellectu difficilia, quaeque indocti depravant, in captivitatem redigite intellectum in obsequium Christi, stultas et sine disciplina quaestiones devitantes: et pro certo habentes quod omnis Prophetia Scripturae propria interpretatione non fit, magnopere curandum est, ut „ ab his sensibus nullatenus recedatis, quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est"; unanimi scilicet et cordato Traditionis sensui inhaerendum: id enim certum „ quod semper, quod ubique, quod ab omnibus traditum est". Rem autem breviter ac tuto conficietis, si eam tenebitis doctrinam, quam tenet et docet Romana Ecclesia, in qua semper viguit, quae est ab Apostolis Traditio. Sicuti vero non intratur in veritatem nisi per charitatem, procul a vobis absit partium studium, idipsum dicite omnes; et ut perfecti sitis in eadem sententia pro canone vobis sint Augustini verba: „ In certis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas". Ita demum fiet ut vocati Sacerdotes, dictique ministri Dei nostri fortitudinem gentium comedetis, et in gloria earum superbietis facti diadema regni in manu Domini.

Paucis vos etiam morabor Regularium Ordinum quotquot estis Alumni optimi, qui florescentibus annis per calcatam fascinationem nugacitatis exultastis ad currendam viam mandatorum Dei, votisque nun-

cupatis evangelica consilia adimplere satagitis charismata meliora aemulati. Estote homines divites in virtute, pulchritudinis studium requirentes, et in domibus pacificantes. Reddite Altissimo vota vestra nedum in conspectu timentium eum, sed efficite, ut vel ab iis qui ex adverso sunt, habeamini in laudibus.

Obaudite me divini fructus (vos alloquor Virgines Deo devotae, quarum quo sublimior gloria, major et cura erit) florete flores, quasi lilium, date odorem, frondete in gratiam, benedicite Dominum in operibus vestris, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum. Gemitibus inenarrabilibus exposcite ut detur vobis hortus conclusus, et fons signatus: sustinentes autem in spiritu humilitatis sustentationes Dei, state, obsecro, in foraminibus petrae et in caverna maceriae ornantes lampades vestras, ut sanctae corpore et spiritu cum Sponsus venerit cum eo intrare possitis ad nuptias accepturae coronam gloriae in perpetuas aeternitates.

Vos demum quotquot estis sanctae Adriensis Ecclesiae meique Filii carissimi atque desideratissimi, quae vobis dicturus sum prompto excipite animo. Vos omnes (id enim vehementer cupio) sitis gaudium et corona mea. Reminiscimini in Baptismatis susceptione maxima quaeque et pretiosa vobis donata fuisse, ut per haec efficiamini divinae consortes

naturae fugientes eam, quae in mundo est concupiscentiae corruptionem. Nolite ergo conformari huic saeculo, sed reformamini spiritu mentis vestrae ita ut quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, haec cogitetis, haec opere compleatis ut decet sanctos Dei. Conjuges datam custodite fidem thorum immaculatum servantes, et honorabile connubium in omnibus. Viri diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam: qui enim suam uxorem diligit seipsum diligit. Mulieres viris vestris subeste sicut dominis, Saram imitantes quae obediebat Abrahae Dominum eum vocans: cujus estis filiae. Sunt vobis sicut novellae olivarum in circuitu mensae filii? nolite ad iracundiam eos provocare, sed educate eos in disciplina et correptione Domini docentes eos ab infantia timere Deum, et abstinere ab omni peccato, et benedicere eum in omni tempore et in tota virtute. Revera qui docet filium suum laudabitur in illo, et in medio domesticorum gloriabitur. Filii obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est; quippe mandatum primum in promissione: Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut bene sit tibi: honorantibus enim parentibus superveniet benedictio ab eis, et benedictio illorum in novissimo manebit. Afflunt divitiae? nolite cor apponere, ne incidatis in desideria multa inutilia et nociva quae

mergunt in interitum et in perditionem. Si vere divites esse cupitis, veras divitias amate, eas nempe quae nos virtutibus divites faciunt. Scientes autem gratiam Domini nostri Jesu Christi quoniam egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis, propter mandatum assumite pauperem, eique porrigite manum inducentes eum in domum vestram, et sic foenerabimini Domino, qui vicissitudinem reddet vobis ad thesaurizandos thesauros non deficientes in caelis. Nobilitamini aviti splendore generis? estote mites et humiles corde: omnis quippe caro foenum. An non Christus Jesus cum in gloria esset Dei Patris humiliavit semetipsum? Date operam ut laudemini justitiae et perfectionis merito: probati enim viri genus, virtutis prosapia est. Mordet ne vos honoris et gloriae cupido? Si culmen veri honoris quaeritis, ad caeleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis in illa superna Angelorum Curia adscribi festinate. Servi obedite dominis carnalibus in simplicitate cordis non fraudantes, sed fidem bonam servantes, quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum recipiet a Domino. Qui autem servos habetis, quod justum est et aequum eis praestate, nec moretur opus mercenarii apud vos usque mane, sed servum fidelem quasi fratrem sic eum tractate.

Omnis autem cujusvis generis, sexus, aetatis co-

gitans paucitatem dierum quia finientur brevi custos factus animae suae servet viam suam ambulans in omni bonitate. Expoliantes itaque veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria carnis, induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est. Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem cum proximo, quoniam sumus invicem membra. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Amaritudo, et ira, et indignatio, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem imitatores Dei, et ambulate in dilectione invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut et Deus in Christo donavit vobis. Paucis accipite a divo Petro totius christianae vitae instituendae rationem: Fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate.

Haec habui quae vobis scriberem, ut pollicitationem spiritus accipiatis, antequam veniam ad vos in gaudio, et refrigerer vobiscum. Aequo animo monita haec salutis excipite facti docibiles Dei. Haec autem habetote veluti primum paterni amoris signum, et primum debitae existimationis in vos meae officium. Instate postulationibus et gratiarum actionibus orantes pro omnibus hominibus, et in primis pro Sanctissimo Pontifice nostro Pio, pro Religiosissimo Imperatore et Rege nostro Francisco, pro

Celsissimo Principe RAINERIO qui apud nos Augusti Fratris sapientissime vices gerit, et pro omnibus qui in sublimitate sunt. Rem autem meam et vestram agetis si me etiam adjuveritis orationibus vestris apud Deum. Ut vero a Patre misericordiarum assequar gratiam et benedictionem per vestras preces adsint mihi et suffragentur APOSTOLORUM PRINCIPES, quorum sub invocatione Deo dicata est Cathedralis Ecclesia: adsit et Pontifex ac Martyr Sanctissimus BELLINUS, quem totius Dioeceseos Patronum Principem veneror et colo: opituletur mihi faveatque efficacissimo patrocinio suo VIRGO SANCTISSIMA, quam vos jure et merito gratiarum Matrem dicitis. Tot tantisque adjutus praesidiis spero fore, ut cum venero sim minister Christi Jesu in vobis, sanctificans Evangelium Dei omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaciam. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

Dabam Vicetiae ipso die Consecrationis meae VIII. id. Julii MDCCCXXI.

21